

buit. itaque eam demum ad Maleam nactus , muneribus & commeatu largiter præfecto classis missis , ad Mitylenem expugnandam prope invitus una se contulit : cum Galli nihil ea de re antea cum illo communicavissent , neque quid sui consilii esset , ab eo petiissent : nihilo tamen se cius omnibus in rebus suam illis operam præsttit . Itaque tormentis expositis , Galli nostrique oppidum aggressi , muro dejecto , repulsi atque occisis propugnatoribus , magno impetu ipsum ceperunt . Arcem oppidi autem , sine qua teneri oppidum non poterat , cum jam Veneti turri dejecta signa in muros intulissent , idemque Ligures ex classe Gallica Venetis proximi fecissent ; tamen capere non potuerunt , quod duorum præfectorum interitu , quos hostes interfecerant , Galli perterriti se in castra receperunt . Erant autem ex Armoricis finibus plerique , qui suorum ducum dicto audientes non fuerunt . eos se recipientes cæteri omnes subsequuti , oppugnationem reliquerunt : ita victoria jam plane parta , si suum Galli munus obiissent , interpellata pedem retulit . Accidit autem ab Thracibus ea in oppugnatione res permira , quæ virtutem illorum atque animum ostenderet . Nam cum tot navibus oppidum obsideretur , tot hostium millia circunfusa ad muros stationes haberent : una in biremi & tribus navigiolis milites trecenti a Bajasetis filio e Magnesia , cui præerat , auxilio missi , in arcem se inferre velle non dubitaverunt : sed ab Gallis intercepti , cum se fortissime defendissent , reliquis interfectis viginti eorum Gallos elapsi , quo intenderant , tenuerunt , atque in arcem recepti sunt . Præfectus classis ea spe dejectus , Pisauro relicto , discessit : tempestate turbidissima deprehensus ad Cytheram insulam navi sua elisa , ex hominibus quingentis , qui in ea erant , ipse perpacique , qui se in parte navis fracta scopuloque infixa continuerunt , evaserunt . Navis ex hujus classe altera cum sexcentis hominibus interiit .

Pisaurus , multis diebus ad bellum gerendum idoneis Gallorum causa frustra consumptis , hyeme præcipiti se ad Melum insulam contulit . Forte ibi Ericus Thrax ,

1501  
*Mitylenis  
oppugnatio.*